

ARISTOTELIS STAGIRITÆ  
DE REPREHENSIONIBVS SOPHISTA-  
RVM LIBER I.

Nicolao Grouchio Rhotomagensi Inter-  
prete.

VNA' CVM ANNOTATIONIBVS GERARDI  
MATTHISII GELDRIENSIS NVNC RECENS  
editis.

*Adiecit in Studioforum gratiam, librum D. Thomæ Aquina-  
natis, de Natura & essentia rerum, nunc opera Matthijsij  
& παραφρασις ἰκῶσις translatum, & commentarijs  
præterea nonnullis illustratum.*



*de la Librairie de*

COLONIAE  
Excudebat Petrus Horst.  
Anno 1566.

*Est. Soc. J. J. V. Calm. ex dono Regni.*

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

ἀπειρῆς ὅτι συλλογιστικῆς μεθόδου ἡπάτων. καὶ οὗτοι διὰ τὸ ἐπιγεγραφεῖν  
 τοὺς σοφιστικούς ἐλέγχους φασί, ὡς ὅτι παρ᾽ αὐτοῦ πραγματείας πρὸς τὸ πῶς ἡλεγε-  
 χομαι σοφισαὶ διαλαμβανόντες, εἰ πρὸς ὅτι συνάσεως τῶν σοφισμάτων αὐτῶν,  
 οὐ πρὸς τὸ πῶς αὐτοῖς σοφισαῖς ἀντιλέγοιμεν. Alij uero improbantes hanc senten-  
 tiam, non quibus Sophistae ad alios decipiendum uterentur, sed quibus ipsimet ab aduer-  
 sario Sophistarum fraudes intelligente conarguebantur, rationes sic dictas existimabant. Scri-  
 bit enim ad huc modum Alexander: ἄλλοι δὲ οὐ τὸτοιοῦτο εἶναι εὐσκοπὸν τῷ βιβλίῳ  
 εἰσάγαγον, ἀλλὰ μάλλον σκοπὸν ἔχειν εὐαριστοτέλι ἐπιθεῖν πρὸς τὸ πῶς αὐτῶν  
 τοῖς μάθοιμεν ἐλέγχῳ, καὶ ἀντιλέγῳ τοῖς περὶ αὐτοῦ σοφιστικῶν ἡμᾶς. διὰ τὸτοιοῦτο  
 γὰρ φασί, οὐ δὲ πρὸς τῶν σοφιστικῶν συλλογισμῶν ἐπιγέγραπται εἰς βιβλίον, ἀλλὰ  
 σοφιστικοὶ ἐλέγχοι, ὡς καθόλου πρὸς ἀδιδόμενους δι' ἡμᾶς τοὺς σοφιστὰς ἐλέγ-  
 χον δυνάμεθα. Verum salua horum parte, melior est teste Alexandro superior sententia.  
 Quamquam ex eo confici non oportet, hunc esse Aristotelis scopum, ut talium reprehensio  
 num conficiendarum formas solum ac modos nobis in hoc Opere prescribat. In eo occupa-  
 tus est Aristoteles, ut primum quomodo Sophistarum reprehensiones conficiantur, doceat.  
 Deinde quomodo conficienda et constructa ea, ne Sophistarum tendiculis ac fraudibus te-  
 merè illaqueeris, dissoluenda sint, ostendit. Actametsi hoc ei praecipue cura fuerit, ut quae  
 ad modum aduersus Sophistarum importunitates, εἰ τὰς εὐνοχλίσεις tuti ac securi esse  
 possemus, demonstraret; consequi tamen id ipsum, non exposita et explicata ante struen-  
 darum eiusmodi captioformam, non satis potuit. Quippe cum nodi dissoluendi et ex-  
 plicandi artificiosa ratio dari non possit, si quem ad modum nodus conficiatur, ignotum  
 habeam, iuxta id quod in Metaphysicis lib. 2. cap. 1. Aristoteles ait: λύειν δὲ οὐκ ἔστιν ἀ-  
 ναγκαστὸν εὐαριστοτέλι. Vtrumque ergo simul hic docetur, tum quomodo struenda, tum quom-  
 modo dissoluenda sint Sophistarum reprehensiones: et si hoc per se, illud non nisi alterius  
 ratione Aristoteles facit, quae admodum his uerbis indicat Alexander, οὐ δὲ τῶν εὐαριστοτέλι  
 σκοπὸν ἡμᾶς προκείμενος πρὸς τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων διαλαβῆναι, οὐ δὲ δι' αὐτῶν, ἀλλὰ  
 καὶ ἄλλοις εἰς τὸ πῶς εἰρημένους εἰδῆς διδάσκει, πρὸς τὸ ἐλέγχειν τοὺς σοφιστὰς.

Aristote-  
 lis instituta  
 tum in hoc  
 libro.

DE VARIIS SOPHISTICAE REPREHENSIONIS VOCABVLIS, ET SYNONYMIS, Cap. 2.

Sive Graecos, siue Latinos Philosophos quis audiat, per multas easque uarias Sophisticae  
 reprehensionis appellationes inueniet. Nos quae maximè peruagatae tritaque tum apud Graecos,  
 tum apud Latinos sint, hic subiiciemus. Aristoteles lib. 8. Topicor. cap. 2. σοφισμα-  
 τῶν δὲ τὰ ἐπιχερήματα uocat fallaces et captiosas argumentationes. Ibidem cap. 4. εὐ-  
 σοφισμα, εἰρηκὸν συλλογισμὸν, hoc est, rixuacem et contentiosam ratiocinationem  
 definit. Libro de Reprehensionibus Sophistarum, partim τοὺς παραλογισμούς, ut  
 cap. 1. 3. 17. 18. partim τοὺς παρεξέλεγχους, ut cap. 12. et 16. partim τοὺς σοφιστικούς,

Sophisticae  
 reprehension-  
 es ut  
 Aristotelis  
 dicantur.

# TABVLA SEQVENTIS LIBRI MATERIAM SVCCINCTE PER SINGVLA CAPITA EXHIBENS.

- Primo Capite (ut methodus ad hanc disputationem ingredi videatur) communia quadam praefatur, ut esse Sophisticam reprehensionem, & unde maxime ea existat, quodq; sit Sophistarum ingenium, & quatuor argumentorum formis omnem disputationem contineri.
2. Quinq; Sophistarum tanquam finibus ac scopis propositis, quemadmodum sextuplici fallacium reprehensionum (quae e uerbis oriuntur) genere, ut homonymia, amphibolia, coniunctione, diuisione, accentu, et forma dictionis, nos Sophista circumuenire nitatur, ob oculos proponit.
  3. Quemadmodum septulici genere falsarum reprehensionum, quae e rebus ducuntur, & quidem ex accidente, ex eo quod circumstantijs definitur, ex ignorantia reprehensionis, e petitione principij, ex consequentibus, ex non causa ut causa, ex multiplici interrogatione, nos Sophista decipiat, planum facit.
  4. Oes ante dictas captiones ad unius Reprehensionis ignorantia transferri posse, & qua obre singulae quaeq; captiones nos fallat, declarat.
  5. Ostendit eosdem falsarum & apparentium reprehensionum esse locos, eosq; non alios nisi communes & generales in hac arte tradi ac constitui oportere.
  6. Veteres resellit, qui antegressas istas captiones alia uia, quod has ad nome, illas ad sententiam pertinere iudicauerunt, dispersiti erant.
  7. De παρανομία traditis nonnullis, & quid contentiosus a Sophista distet, & pirasticum cum Dialectico in nullo certorum genere uersari docet.
  8. Quibus modis ad falsum simul atq; inopinatum quiddam asserendum nos temere Sophista inducat, ante oculos ponit.
  9. De nugatione simul ac Solocisimo, quibus modis ad haec Sophista imperitiores impellat, differit.
  10. Communia quadam praepcepta de collocatione tradit, et dispositione eorum, quae tum ad celandum propositum faciunt, tum ad congruendum eum qui in differendo est proteruior.
  11. De triplici praesentis doctrinae utilitate differit, & quantum e in eadem doctrina nos exerceri conueniat.
  12. Quemadmodum uerisimilis & ad opinionem accommodata solutio, ad praegressas captiones utiliter quandoq; adhibeatur, & quo id modo fiat, uniuersim ostendit.
  13. Quae uera sit sophisticarum captionum dissolutio, & quemadmodum in quinque primis generibus captionum quae e uerbis existunt, eadem tractetur, speciatim docet.
  14. Quomodo in postremo genere captionum τὴν ἀπὸ τῶν λέξεων solutio se habeat, manifestat.
  15. Quemadmodum captiones quae ex rebus sunt, & primum quae ex loco accidentis ducuntur, sigillatim sint explicandae, declarat.
  16. Quo pacto reliquae sex formae captionum, quae ex rebus ducuntur, sint dissoluendae, ostendit.
  17. Ut soluantur captiones, quae tum ad nugationem, tum ad Solocisimum, aduersarium deducunt; deinde quo modo non pari facilitate omnes captiones dissoluantur, quaeq; dissolutu ceteris sint difficiliore, (ipse τοὺς ἀπὸ τῶν λέξεων ὀνόματι uocat) conspicium facit.
  18. Praedictam istam tractationem concludit, primum generatim re petens, ea quae tum hoc libro, tum S. antecedentibus Topicis explicata sunt; deinde planum faciens, quanto labore praecedens doctrina sibi consisterit, utpote in qua tradenda nihil superiorum industria sit adiutus. Quo nomine si quid recte praepceptis, sibi gratias agi sin secus, bona cum uenia qualicunq; ista legi a posteris, precatur. Atq; haec summa uniuersi libri est.

Prima agit de constructionis captionibus, qua parte interrogas instruitur, Cap. 10.

Huius libri partes praecipue sunt duae, quarum

Secunda de resellendis et soluendis captionibus, quae praespondenti seruiunt, Cap. 8.

# ARISTOTELIS STAGIRITÆ DE REPREHENSIONIBVS SOPHISTARVM

LIBER VNVS, NICOLAO GROVCHIO ROTHOMAGENSI

Interprete, vnà cum annotationibus Gerardi Matthijsij  
Geldriensis, nunc recens editis.

## ESSE VITIOSAM REPREHENSIONEM, ET

VNDE MAXIME ORIATUR, QVODQVE SIT SOPHISTA-  
rum ingenium, & quatuor argumentorum formis omnem  
disputationem concludi. Cap. I.

CAP. I.



**D**E \* sophistarum autem reprehensionibus, & de ijs que  
speciem habent reprehensionum, <sup>b</sup> reuera tamen fal-  
laces ac vitiosæ conclusiones sunt, nunc dicendum. In  
quo ego naturam imitatus, <sup>c</sup> ab ijs potissimum exor-  
diar, quæ sunt huius disputationis prima veluti elemē-  
ta. <sup>d</sup> Ac primùm quidem alias esse veras ratiocinatio-  
nes: alias, quæ tantùm videātur, nec sint ratiocinationes, iam per se pro-  
pmodum est perspicuum. Atque vt alijs in rebus, ita in argumentatio-  
nibus propter quandam rerum inter se similitudinem id accidit. <sup>e</sup> Sunt  
enim inter homines alij, quibus reuera inest bonus corporis habitus: in  
alijs, aut tumor quidam talis, qualis esse hostiarum solet in sacris curiali-  
bus per æmulationem curiarum, aut fictus ad eam rem ornatus bonam  
corporis habitudinē imitatur. Sūt item, qui sua ipsi forma pulchri sunt:  
alij autem, qui per fucū tantùm tales videntur. <sup>f</sup> Nec dissimilis est in re-  
bus inanimatis ratio, in quibus sunt nōnullę, quę vt videntur, ita reuera  
sunt, aut argentum, aut aurum. aliæ cū non sint, falsa quadam specie  
iudicio sensuum videntur: vt lithargyrina & stannea, videntur esse ar-  
gentea: quæ felle tincta sunt, aurea. <sup>g</sup> Eodem planè modo ratiocinatio-  
nes & reprehensiones alię sunt, alię propter imperitiā videntur. Sunt  
enim imperiti homines ijs propmodum similes, qui procul res prospici-  
unt. <sup>h</sup> Ac vera quidē tum ratiocinatio est, cū ex quibusdam positis,  
quippiā ab ijs quæ posita sunt, diuersum ob id necessariò sequitur, quia  
illa sunt anteposita. <sup>i</sup> Reprehēsiō autem, cū est ratiocinatio, per quam

Orditur à  
ppositōe.

Sintne vj  
tiosæ con-  
clusiones,  
ac reprehē-  
siones.

A α

non

ptionum se docti exercitarint, scire quis desideret, audiamus A. Gellium copiose de ea re  
 differentem lib. 18. cap. 13. Saturnalibus (inquit) Athenis alca quadam festina & hone-  
 sta luscabamus huiuscemodi. Vbi conueneramus complusculi eiusdem studij homines, ad  
 leuandum tempus, captiones quae sophismata appellantur, mente agitabamus: easque quasi  
 talos aut tesserulas in medium iace sua quisque iaciebamus. Captionis solute, aut parui in-  
 tellecte premium poenaeue erat nummus unus HS. Hoc aere collecto quasi manuario coe-  
 nula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus. & cæt. Ac similiter serè eodem libro  
 cap. 2. Equidem si ad hunc modum studijs fatigatum animum recreare & reparare iuuen-  
 tus moliretur, longè id satius & exoptandum magis iudicio meo foret, quàm cum perpo-  
 tationibus, alca, disco, et cæteris id genus minus laudatis ac probatis lusibus se recreat, pro-  
 pterea quòd hoc modo non solum ingenium acuitur & alitur, sed differendi quoque facul-  
 tas & prudentia nescio quo modo comparatur & augetur. Sed modus, ut antè dixi,  
 hic habendus & faciendus est. Quod ad iocandum ac reficiendum animum  
 hoc genus exercitamenti ualere, superiùs diximus, id his uerbis etiam Ale-  
 xander astruit, cum sic ait: παιζόντων μὲν, ὃν σπῆδ' ἀλόντων δ'  
 τοῖσ' τοῖσιν ἐστὶ τὸ συλλογισμῶν. ἔδ' ἐπαιγνιομῶσ' ἄμ-  
 ῆϊν περισπῆσ' ασομ' ἀνδ' ῥᾶσι σοφοῖς καὶ ἐπισήμοις  
 σιν, ὡς ἐν τῷ ἐνυθ' ἡμῶν καὶ πλάτων δ' ἰα-  
 λαμβάνα, & cæt. Verum hæc de utilita-  
 tate, & locis quibus fas sit So-  
 phismatis uti, dicta sint  
 badienus.

D. THOMÆ AQUINATIS  
DE NATVRA ET ESSENTIA RERVM

LIBELLVS, VERAE PHILOSOPHIAE CANDI-  
datis longè vtilissimus, nunc recens  $\mu\alpha\gamma\alpha\alpha\text{-}$   
 $\phi\eta\lambda\sigma\sigma\omega\varsigma$  explicatus, & Commentarijs  
præterea nonnullis adiectis  
illustratus:

AVTHORE GERARDO MAT-  
THISIO GELDRIENSE.

AD LECTOREM.

*Adsis, quisquis aues cunctarum exquirere rerum  
Naturam, uerè hanc te docet iste liber.  
Te docet expressè liber, in quo essentia totum  
Sit posita, hæc exors corporis, illa capax.  
Te docet euenti quo uis naturaq; constet  
Omnis, quid pulchrum hac cognitione magis  
Hic tibi sunt artis Logicæ fundamina iacta:  
Principia hic Sophiæ sunt reserata tibi.  
Si sapis ergo librum, quisquis sapientiæ amore  
Ducris, hunc crebra uolue reuolue manu.*

COLONIAE  
Excudebat Petrus Horst.

Anno 1566.

# IN LIBRVM D. THOMÆ

AQVINATIS DE NATVRA ET ESSEN-

TIA RERVM, ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΩΣ ΤΡΑΔΥCΤVΜ,

Gerardi Matthijs Geldriensis

præfatio.



Vm multę res in Philosophia nequaquã satis adhuc di-  
lucidè perspicueq; sunt traditę: tum per difficilis quidẽ  
certè atq; obscura est quęstio illa, quę de natura rerum  
atq; essentia inter doctos agitur. Nam siue ita res ha-  
beat, vt ipsa per se essentia lateat, (quęadmodum De-  
mocritus in profundo abditam esse veritatem aiebat)  
siue ipsa per se clara sit & conspicua, posteaquã tanta animorũ nostro-  
rum caligo, tanta mentium in ijs quę naturã sunt clarissima, perspicien-  
dis est tarditas, vt non secus atque noctuarum oculi ad diurnum lumen,  
(quęadmodum in Metaphysicis scriptum Aristoteles reliquit) ita men-  
tes nostrę ad talium rerum obtutum quodam modò caligent: certè fieri  
nõ potest, quin ea de qua dixi, quę rerum singularum naturam exquirat  
& indagat, cum primis obscura, difficilis, atque inuoluta nobis haberi  
meritò quęstio debeat. Verũ cum de illa nonnulla apud Veteres di-  
spitata sint, maximè dispersę varijsque in locis: tum inter omnes, quod  
mihi constet, nemo est, qui cum D. Thoma Aquinate facilè in hac re cõ-  
parari possit. Hic enim præterquã quòd disiectas dissipatasq; Veterũ  
sententias, quod ad prædictę quęstionis explicationem spectat, summa  
diligentia in vnum conduxit: ita easdem digessit, ac ratione quadam, vt  
diuino Vir erat ingenio, accuratè constrinxit & explicauit, vt si ipsę tor-  
tères minus aliquem mouere, & ad cognoscendum inducere posse vi-  
deantur, ipsa saltem tractandi commoditas, & in docendo obseruata ar-  
tificiofa methodus, non omnino harum rerũ allicere huc contemptorẽ  
possit. Neque verò in vnius alicuius explicanda rei natura eam solũ di-  
ligentiam curamque adhibuit, vt quę ad istius naturę perquirendam e-  
uoluendamq; rationem ac notitiã facerent, omnia persequeretur: Cun-  
ctarum rerum explicandam declarandamq;, quoad eius fieri posset, na-  
turam sibi proposuit: maximè communi atque vniuersa ratione. Nam  
quis singulatim de omnib. rebus, quę tot tamq; multiplices in hac mũ-  
di fabrica cohærent, quicquam differendo consequi, aut omnino pertra-  
ctare possit? Ita primũ de substantijs omnibus, tum simplicibus, tum

# TABVLA SEQVENTIS LIBRI MATERIAM EXHIBENS.

<p>Prima agit de essentia substantiarum compositarum, idq; cap. 7.</p>	<p>Absolutè et per se.</p>	<p>Primo capite proposita uniuersali libelli materia, quot modis dicatur id quod est, quidq; ab hoc essentia distet, &amp; quã uarijs nominibus essentia nuncupetur, ostendit.</p>
		<p>2 cap. proposita materiae distinctione, mixtarum et concretarum substantiarum essentiam indagans, materia simul ac forma eandem constare declarat.</p>
		<p>3 cap. materiam in duo genera dissipat, docens hoc rei essentiae, illud indiuiduationis causam esse: deinde ut generis &amp; speciei essentiae inter se distent, explicat.</p>
		<p>4 cap. genus cum specie, differetia, ac definitione confert, docens omnia quidem ista unum quiddam declarare, sed ratione dissimili ac diuersa.</p>
	<p>Logicè.</p>	<p>5 cap. genere cū prima materia cōparato, docet quo pacto illud in cunctis formis idem sit, deinde quo modo species tum cum indiuiduis, tum cum genere suo conferatur, ostendit.</p>
		<p>6 cap. docet essentiae nomē uariè dici, quia &amp; abstractè dicatur, &amp; concretè, idq; utrobique non uno modo.</p>
		<p>7 cap. quo tandē modo uniuersalis notio cōcretæ essetiae cōueniat, et quomodo speciei nomē diuersè intelligat, ostendit.</p>
<p>Secunda de essentia sub stantiarum simplicium, idq; cap. 4.</p>	<p>Absolutè</p>	<p>8 cap. simplicium &amp; abstractarum substantiarum naturam inquirens, illis formae et esse compositionem attribuit: deinde quo pacto simplices substantiae à cōpositis distent, ob oculos ponit.</p>
		<p>9 cap. quot modis simplices substantiae omnino componantur, deinde qua ratione ipsae inter se uerè distinguantur, docet.</p>
	<p>Logicè.</p>	<p>10 cap. quid Deus à simplicibus substantiis distet, et quo modo eius esse, tum ab uniuersali esse differat, tum id ipsum per se perfectum &amp; absolutum sit, contentione quadam declarat.</p>
		<p>11 cap. quo modo Logicae notiones in simplices substantias, excepto Deo, conueniant, &amp; unde tum genus, tum differentia in iisdem capiendae sint, (reuocata in memoriam compositarum substantiarum natura) in medium proponit.</p>
<p>Tertia de a ccidentium na tura, cap. 2.</p>	<p>Absolutè</p>	<p>12 cap. docet naturam accidentium per se inabsolutam esse, illaq; uariè ex substantiis oriri, quia haec à materia, illa à forma existant, idq; dispari modo.</p>
		<p>Logicè.</p>



D. THOMÆ AQUINATIS  
DE NATURA ET ESSENTIA RERVM, LIBEL-

LVS ΠΑΡΑΦΡΑΣΤΙΚΩΣ EXPLICATVS, ET SCHOLIIS

præterea nonnullis illustratus: authore Gerardo

Matthiæ Geldriense.

Caput I.



**P**LATONIS \* sententia est, quemque in rei cuiusq; principijs constituendis sollicitum esse, & per diligentem considerare oportere, vtrum rectè illa ponantur, nec ne. \* Cuius quidem sanè causa est, quòd etsi quantitate & magnitudine non vsq; ad eò principium excel-

Principia accuratè in omni disciplina explicanda

lit & eminet, vi tamen & potestate id ipsum maximè præstat. Quippe in quo cætera continentur, & ex quo tanquam è fonte quodam reliqua dimanant ac profluunt omnia. \* Quapropter rectè ab Aristotele dictum est, si quidem leuis etiam error, quo à veritate discedimus, initio commissus fuerit, quò diutius in eo perseveraris, eo maiore vel decies millies eum futurum esse. \* Quæ cum ita habeant, sintq; hæc duo omnium prima, quæ in quaq; re perpendenda & æstimanda primò nobis occurrant, \* nimirum esse rem, & quid ea sit, quemadmodum in Metaphysicis suis Avicenna scriptum reliquit: equidem non ab re mihi facturus videor, si quam vim duo ista habeant, quomodoq; tum in ijs quæ per se constant, tum in ijs quæ per se constantibus naturis insunt reperiantur, (siquidem non vno modo istud fit, eademq; res nonnullam difficultatem adiunctam habet) non solùm, quod ad primam Philosophiam, quæ absolute rerum quarumq; naturas vestigat & cõtemplatur, sed etiam, quod ad Logicam (præsertim verò <sup>b</sup> peruulgatas illas seu intentiones, seu notiones, generis, speciei ac differentię) attinet, explicare institutam. Hoc etenim modo, <sup>c</sup> cum ad duarum, earumq; longè maximarum atq; excellentium disciplinarum cognitionē, viam aperiamus, non dubiū, quin & mediocriter Philosophię candidatis gratificaturi simus, & ad promouenda ipsorum studia complusculum adiumenti allaturi.

Ens & essentia duo prima totius Philosophię quæ in ijs

Primo de nomine rei cuiusq;

\* Verum cum ita res habeat, vt in omnibus ijs, quæ via ac ratione dis-

A

sceptatur

substantiales. Disgregatio enim uisus conuenit ex uehementia lucis, cuius plenitudo albedinem constituit: & congregatio uisus conuenit ex causa contraria. Hæc ille. Quod attingit ad colorum species, & quomodo ipse inter se quadam permixtione gignantur, uide Aristotelem libello πρὸς τὸ χρωμάτων, de Coloribus, quem Cælius Calcaginus Latine conuertit.

d Verum de his satis.) Reiectio, qua ad libelli conclusionem deinde transit.

e Fateor multa quidem.) Concessio, qua antegressæ disputationis obscuritatem excusat, rerum nature illam imputans, non suæ tractationi.

f Propositum nobis fuit.) Epilogum attexit prægressarum rerum enumeratione constantem.

g Quod fit, ut neque definit.) Quia definitio omni genere & differentiâ constat, ut per multis locis scriptum id Aristoteles reliquit: certum est, nulla finitione DEI naturam, ut quæ nec generis, nec differentiæ ullius particeps est, describi posse. De quo ita B. Thomas parte 1. quæst. 3. arti. 5. scribit: Et ex hoc patet, quod non habet genus, neque differentias, neque est definitio ipsius, neque demonstratio nisi per effectum: quia definitio est ex genere & differentiâ: demonstrationis autem medium est definitio. Hæc ille. Quam difficilis explicatu et circumscriptu sit DEI notio, ostendit illa Simonidis responsio apud Ciceronem lib. 1. de Natura Deorum. Nam cum Simonides ab Hierone Tyranno rogatus, quid qualisq; DEVS esset, se expedire non posset, sumpto ad deliberandum aliquantulo spatio, Quanto diutius, inquit, considero, tanto mihi res uidetur obscurior.

Deus finitione explicari nequit.

Simonidis ad Hieronem responsio.

## FINIS.

## Errata sic corrigantur.

Pagina 1. uer. 30. non mediocriter. pag. 2. uer. 3. uocant. pag. 3. uer. 28. πρὸς γμας  
 τθ. pag. 13. uer. 21. cap. 9. pag. 16. uer. 30. qui caloris. pag. 31. uer. 13. ducere uide-  
 tur. pag. 47. uer. 27. coheret. pag. 50. uer. 8. atq; redundat. pag. 87. uer. 10. mini-  
 mi gradus. Cætera Lector ipse corrigat.